

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0492

0490

0496

0486

0501

478
descriptione ambo manifestantur, sicut uno nomine ambo mons
Synai nominantur.

Est ergo Synai mons regionis Madian supra Arabiam, juxta
sinum Arabiae imminens, alios altitudine superans, cuius sum-
mum videtur esse coelo contiguum, qui quidem venerandissimus
est ob crebram jam dudum veri Dei apparitionem in uno
vertice et ob admirabilem beatissimae Catharinae virginis
angelicam tumulationem in alio vertice. Haec duo hujus
sancti montis cacumina a nullo hominum fuerunt frequentata
ante Moysem et Catharinam: nemo quippe audebat verticem
Oreb ascendere, quia communis opinio hominum erat etiam
ante Moysen, terribilem Deum in illa summitate habitare, quem
nemo vivus manens posset intueri nec accedere. In summi-
tatem vero Synai nemo praesumsit adscendere, cum ejus cacu-
men videtur coelo quodammodo contiguum esse et scopuli
praerupti in altum protensi ascendi locum prohibere. In primo
etiam vertice videbatur frequentius ignis ardere ante Moysis
ascensionem. In secundo vero videbatur semper pruina et nix
rigere ante Catharinae tumulationem.

Sunt in mundo plures montes, de quibus ignis spirat, ut
Aetna vulcanus et Bobius, sed non hoc agente. Mons autem
iste igneas flamas emisit, Deo ipsum miraculose incidente,
ut patet Deuter, V. et Exodi XIX. Scribitur enim, montem ex-
arsisse igne, quando Dominus descendit, tubarumque voces
exauditas fuisse. Cumque tota multitudo non pauciores quam
decies centena millia essent, per V dies in omni loco ardens
ignis aspiciebatur, ita tamen, ut nihil ibi consumptum fuerit,
sed ipsa quoque herbarum viriditas intacta permansit. Haec
Eus. de evang. praep. lib. 8. c. 3.

Sunt multi montes perpetuis nivibus operati, rigiditatem
praestantes, hic autem nive canduit virginitatem Catharinae
significante. Sunt praeterea multi montes cavernosi, in quibus
gentiles superstitionibus vacabant et idola colebant. Hic mons
cavernas habet, in quibus prophetae divina oracula exspecta-
bant et sancti monachi divinis contemplationibus insistebant.
Plures sunt diis consecrati, ut Minervae Aracinthus mons,
Appolini Malea, Jovi Olympus, Aeneae Misenus, Satyris Atlas,
Poenio Poenus mons, Moloch mons offensionis, Veneri mons

Ende

Anfang

